

S A X O N I A.

st 106, sub Trajano, *Witikindus*, Saxonum Rex, viginti millia Gothorum fudisse dicitur, & Saxoniae finibus ejecisse, adjutus à Richimere Francorum & Thuringorum rege. Anno 258, impe-
rante Valeriano, fertur Saxonum rex fuisse Ma-
robodus, & post eum Lotharius, qui anno 266
in Galliam exercitum duxit, & Hispaniam popu-
latus est. Anno Christi 300 *Vecto* memoratur rex
Saxonum, qui & urbes condidit, & legibus latis
ad humaniorem cultum efferos incolarum ani-
mos revocavit. Anno 350, sub Valentianio, rex-
it Saxones *Swinna*, qui quum ejus ductu prædabun-
di mare infestarent, repressi sunt, fracto ipso-
rura impetu à Theodosio. Anno 427, Saxones
Witikindo Angriæ duce in Galliam irruperunt.
Anno 449, *Aengistus & Horstus*, rogatu *Vortigerii*
regis Britanniæ, in Insulam navibus appulerunt,
magnamque ejus partem occuparunt. Anno
500 etiam in Italianam irrupere.

*Stemma
Regum &
Ducum
Saxoniae.*

Stemma Regum & Ducum Saxoniæ primo à
Sighardo pagano per Witikindum usque ad
Thiemonem Marchionem Misniæ ducitur. In-
de à Thiemone, usque ad Fredericum bellico-
sum, Electorem Saxoniæ. Hinc Electores Saxonici
ex Bilingiorum stemmate censemur. Post
familia Anhaltinæ Electores Saxonici octo us-
que ad Fredericum bellicosum. Postremo Du-
ces & Electores è familia Misnica, à Frederico
Bellico, usque ad præsentem Ducem.

Saxoniæ populus quatuor olim generibus di-
flingebatur, Nobilium scilicet, Liberorum,
Libertinorum, atque Servorum: & legibus cau-

tum erat, ne ullus suæ sortis oblitus, proprium
in conjugiis genus excederet; sed Nobilis No-
bilem & Liber Liberam duceret uxorem, Li-
bertus conjungeretur Libertæ, & servus ancil-
la. Quicunque vero contra faceret, cum vitæ
suæ damno id lueret. Legibus ad malefactorum
vindictam optimis utebatur. Natio etiam om-
nium Saxonum admodum dedita superstitioni-
bus, atque eam ob causam cum de rebus gra-
vioribus consulerent, præter aruspiciam, equo-
rum hinnitus, tanquam præfigia in primis ob-
servabant, unde factum est fortasse, quod equum
olim in insignibus gesserint Saxoniæ Duces.
Sortibus etiam ducendis multi erant dediti: vir-
gam enim fructiferæ arbori decisam, in surculos
amputabant, eosque votis quibusdam discretos
super candidam vestem fortuito spargebant.
Mox si publica foret consultatio, sacerdos popu-
li; si privata, paterfamilias precatus deos, cœ-
lumque suspiciens ter singulos tulit, sublatos se-
cundum impressam notam interpretabantur. Vt
bellorum eventum explorarent, gentis, cui bel-
lum indicerent, captivum cum electo popula-
rium suorum, patriis quemque armis commit-
tere solebant, & ex victore, quæ gens victoriam
reportaret, conjectare. Deum Mercurium ma-
xime coluerunt, cui humanis hostiis litabant. Sed
hos errores fugavit tandem Christianæ religio-
nis veritas. Gens est robusta, valida, cuius potus
cervisia, cibus autem plerumque laridum cru-
dum, butyrum, caseus, ac reliqua lacticiniorum
genera.

